

Georg Mejer Benedictus Meierus


Disputationum Physicarum Undecima De Mundo

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn742736490>

Druck Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





Disputationum Physicarum
U N D E C I M A
DE
MUNDO.

Quam

Divina adspirante gratia

In Inclvta Academia Rostochiensis

SUB PRESIDIO

M. GEORGII MEIERI

Duderstadenfis Saxonis.

Tuebitur

BENEDICTUS MEIERUS

Eidorastadenfis.

Ad diem 27. Iunij horis & loco consuetis.

✂ ✂



Rostochij Typis Myliandrinis Anno 1610.

Reverendis, pietate & doctrinâ prestantis-
simis Viris,

DN. HARDVICO LANGIO,
Ecclesiæ Hemmensis in Dethmarslâ,
Pastori dignissimo,

DN. OTTONI POLHENIO,
Ecclesiæ Tatingensis in Eydorastadiâ,
ministro vigilantissimo.

VT ET

Amplissimo, prudentissimo, & usu rerû politi-
carum conspicuo viro,

DN. DIDERICO LACKMANNO,
Inclutæ, & pervetustæ Reipub. Stadenſis Civi
Primario,

Dominis, patronis, Mecænatibus, promot-
ribus & fautoribus suis, ut benè de se meritâ, itâ & maxi-
mè observandis ac colendis, hanc de Mundo tractatio-
nem Physicam debita gratitudinis & observantiæ ergò

dicat & consecrat

BENEDICTUS MEIERUS
Eydor. Respondens.

DE MUNDO.

Theorema I.

Mundus est compages, è coelo, terrâ, & reliquis, quæ in his continentur naturis, coagmentata. Arist. lib. 1. de mundo c 2.

Quandoquidem præcipua, quæ in Physica generali explicanda veniunt, proposuimus hætenus: ordo nos ad specialem Physicam devolvit, in qua primò omnium occurrit mundus, sive universum, in cuius declaratione, licet tota Physica occupata sit: nihilominus tamen totum mundum generatim adumbrare conabimur, propterea quod quadam de eo adæquatè demonstrantur.

II. Si vero materiam mundi integrantem respexeris, eam constituunt, ut definitio docet, universa corpora naturalia, tam simplicia, quam mixta: tam animata, quam inanimata.

III. Forma mundi consistit in sola ordinatione, ideoque nulla, forma informans hic effingenda, præsertim cum mundus non aliter quam coordinatione partium, unum quid dicatur. Hinc acutè Scal.

Mundus non est unus unitate formæ informantis, sicuti neque unione materiæ: sed unione primi principij efficientis & finis, propterea quod ab uno, & ad unum omnia, exer. 6. sect. 2.

IV. Patet hinc error eorum, qui animam mundo affingebant, & sic animatum mundum asseriebant. Nam 1. omne corpus, animam quod est præditum, præditum est vel vegetante, vel sentiente, vel

te, vel rationali. Mundus nullâ ex his est præditus: Non vegetante, aliàs esset planta: non sentiente, aliàs esset bestia: non rationali, aliàs esset homo. 2. Quodcumq; corpus est animatum, illius omnes partes sunt animatae. Mundi vero partes omnes non sunt animatae, quia metalla non sunt animata. 3. Mundus non edit operationes vitales. Neq; enim nutritur, neq; crescit, neq; procreat sibi simile, neq; sentit, neq; appetit, neq; intelligit, Ergo non est animatus.

Theorema II.

Deus est causa efficiens mundi.

I. Quia 1. Deus prima statuitur causa omnium rerum, Ergo & mundi. 2. Quia DEUS natura est conservator. Etenim si ejus nutu gubernatur omnia, id quod nemo mentis compos negare potest, necessariò sequitur, eundem omnium fuisse effectorem. Nam si non fecit: igitur ab alio factum acceperit, vel mutuo, vel commodato, vel vi, vel emptione, vel deposito, vel locato, vel legitima successione, vel in vacuum venerit possessionem, vel jussu tanquam minister, aut servus, aut mercenarius à Domino, quæ omnia meræ sunt nugæ, exq; impia. Scalig. exer. 3. 3. Ipsum quoq; Aristotelem, DEUM mundi conditorem agnovisse, probat Scaliger exerc. 61. sect. 3.

II. Modum autem in producendo mundo à DEO servatum, sola exprimit sacra scriptura, quæ docet verbo DEUM condidisse mundum, non per generationem, ex materia aliqua præexistente: sed creationem ex nihilo, ideoq; non Physicè, sive modo naturali mundus à DEO productus est, sed hyperphysicè, modo supernaturali.

Theorema III.

Finis mundi primarius est gloria DEI: secundarius, hominum commoditas & usus.

Finis

Finis mundi duplex est: primarius sive principalis: & secundarius sive minus principalis. Ille est gloria DEI: Est enim hic mundus veluti speculum lucidissimum, in quo DEI potentia, sapientia & bonitas conspicitur. Potentia quidem, quia nullius creaturae opus est fabricatio mundi. Sapientia ejus perspicitur, 1. ex concinna & aptissima rerum collocatione: Elegantia enim rerum plurimarum est, quam conveniens commendat collocatio, ordo, & dispositio. 2. Ex jucunda vicissitudine: regulares enim & constantes hujuscemodi vices, miram ingerunt menti humanae delectationem. 3. Ex rerum diversitate, qua universum perfectum condidit, quod contineat omnium creaturarum gradus. Bonitas denique, quod non tantum omnia in natura valde bona fecerit, verum etiam adhuc conservet. Deus cum fecisset omnia, cognovit esse bona: non enim a summo bono, potest aliquid non bonum vel fieri vel conservari, sanè ille fecit, & facit, & conservat, Scal. exerc. 307. sect. 17. Hic, finis scilicet secundarius & minus principalis, est commoditas & usus hominum. Finis inquam minus principalis hic est, siquidem mundus non *πρωτος* conditus est, ut in eo, victum aliisque vita necessaria quarat homo, sed infinitam DEI potentiam, ut jam supra dictum, sapientiam, ac bonitatem agnoscat & celebret.

Theoremà IV.

Mundus non fuit ab æterno.

I. Mundi aternitatem Philosophus quidem è principijs Physicis defendit & tuetur, quam suam sententiam, si *απλως* & simpliciter vult esse veram, graviter hallucinatur, & non tantum in S. S. Theologiam nostram, sed & ipsam sanam Philosophiam peccat. Physicè quidem loquendo, mundus initium nullum habuit, quia per naturalem generationem non fuit productus: verum ex principijs Metaphysicis optime demonstrari potest, mundum ab aeterno

non exiisse. 1. Quia habet causam efficientem ut supra theor. 2. demonstratum fuit. Quamvis verò efficiens & effectum quoad considerationem respectivam, semper simul sint: tamen secundum absolutam considerationem, efficiens causa semper prior est effectui. Quod si ita est, non potest non habuisse mundus initium: Omne enim quod fit, suâ efficiente causâ posterius est. Scalig. exer. 77. sect. 5. 2. Quia mundus est finitus, ut in sequenti theor. probabitur: Omne autem Ens finitum, est ab alio: nullum à seipso. Sanè mundus si non habuit effectorem, à seipso fuit semper, hoc autem ridiculum est: finitum quippiam esse omnium Entium primum. Omne enim finitum ab alio pendet. Profectò finiri est aliquid pati: patiens autem quiddam posterius est, alio quopiam. Nullum igitur finitum, primum. Nullum quod factum est, cum effectore suo coævum est. Scal. loco, jam supra citato. 3. Quia mundus est Ens dependens, est Ens per participationem: Omnia enim Entia, quæ sunt infra DEum, sunt Entia dependentia, sunt Entia per participationem: Nullum autem tale est à seipso: Si non à se ipso, erit ab alio: Quicquid autem est ab alio, illud habet initium: Si initium, non fuit ab aeterno.

II. Tumultuaris forsàn, multaq; hic obstacula objcã. Quod videlicet si mundus non fuerit ab aeterno, sequatur: 1. DEum aut non potuisse ab aeterno mundum producere, aut noluisse, quod tamen utrumq; sine impietate de DEo enunciari haud posse videtur, siquidem si non potuit, non erit omnipotens: si noluit, non erit summè bonus, cum id quod summè bonum est, suam bonitatem alijs semper communicare cupiat. 2. DEum ante conditum mundum otiosum fuisse. 3. DEum mutabilem esse, & revera in productione mundi, mutatione affectum fuisse: Si enim in tempore mundum condidisset, ex non creatore, creator factus esset.

III. Sed salva res est. Nullum enim è jam tribus allatis absurdis, nostram sententiam comitatur: Non primum, quia DEus est liberri-

liberrimum agens, ideoq; liberè, nullâ absolutâ necessitate, mundum produxit, Quare non sequitur: DEus mundum ab aeterno non produxit, Ergo non potuit, vel non est omnipotens, siquidem ut jam ostensum, DEus non omnia statim facit, quia potest, quia liberè agit, & ea tantummodo facit, quia vult. Neq; vero sequitur, Deum propterea non esse summum bonum, quod noluerit mundum ab aeterno condere, nam quia nulla creatura potest esse aeterna, aliàs enim non esset creatura, omnis namq; creatura aliquando esse cœpit: non potuit etiã DEus ab aeterno, creatura cuidam suam bonitatem communicare, nulla enim ab aeterno extitit. Imò quemadmodum DEus liberè produxit mundum: Sic etiã liberè eidem suam bonitatem communicavit. Deinde docet S. S. Theologia, DEum ab aeterno quidem fuisse bonum communicativum, sed non respectu creatura cujusdam: verùm respectu filij, & Spiritus sancti, quia communicatio est absoluta necessitatis: Quia enim filius & Spiritus sanctus à patre essentiã non differunt, & unã cum patre ab aeterno fuerunt, ab aeterno quoq; iisdẽ, pater suã bonitatẽ essentialiter quidem cõmunicavit. Neq; secundũ absurdũ, sententiã nostrã comitatur, quia licet Deus nõ ab aeterno actiones externas exercuerit: inde tamen non sequitur, ipsũ prorsus fuisse otiosũ siquidẽ adhuc alia sunt actiones Dei, internæ videlicet, quarũ itidẽ meminit sacra scriptura: Ut, respectu patris, gignere filiũ, spirare spiritũ sanctum: respectu filij, gigni à patre: respectu S. S. procedere à patre & filio. Tertium & postremum absurdum ipse avertit Scaliger, si faber inquiring, cum ædificat, non alteratur, qui tamen habet potentiam primam, & secundam cum actũ conjunctam: quanto minus DEus, qui semper actus est: Ejus enim velle, actio est. exer. 77. sect. 5.

Theorema V.

Mundus est finitus.

Hujus

I. Hujus theoremat^{is} certitudo pendet è præcedenti: quia enim mundus ab æterno non fuit, non potest esse infinitus, cum infinitum quod est, etiam æternum sit. Potest idipsum etiam sequentibus rationibus demonstrari: 1. Quia est compositus: Omne autem compositum est finitum. 2. Quia ejus partes omnes sunt finitæ: Cujus autem partes omnes finitæ sunt, illud ipsum totum finitum est. 3. Quia infinita plura uno esse non possunt. Si ergo DEus est infinitus, mundus non potest esse infinitus.

II. Nec obstat argumentum: Cujus causa est infinita, idipsum est infinitum. Atqui mundi causa est infinita. Ergo & mundus est infinitus. Pari enim Logicâ colligerem, mundum esse omnipotentem, esse DEum, in hunc modum: Cujus causa est omnipotens, est DEus: idipsum quoq; est omnipotens, & DEus. Atqui causa mundi est omnipotens, est DEus: Ergo mundus quoq; omnipotens est, & DEus, quæ conclusio tamen absurda est, & manifesto falsa, ideòq; et propositio major falsa erit, quæ nititur vulgari illo axiomate: Qualis est causa, talis quoq; effectus. quod axioma similiter citra insignem limitationem concedi haud potest, ut alibi à nobis dicitur.

Theorema VI.

Mundus est unus.

I. Mundum unicum tantum esse partim scriptura, partim Philosophia probat. Scriptura quidem, Gen. 1. ubi omnia opera DEI, sex dierum spatio creatæ, ordine recenset. Vide Philip. lib. 1. Phys. & Danaum in Phys. sua christ. part. 1. cap: 11. Philosophia 1. Quia si plures essent mundi, gravia sursum & levia deorsum ferrentur: vel enim terra alterius mundi ad hujus mundi centrum, tanquam ad locum suum naturalem, & ignis alterius mundi, ad hujus mundi ignem moveretur: aut terra, hujus mundi, ad alte-

ad alterius mundi centrum, & ignis, ad alterius mundi ignem, quod
 circa insignem ἀπαξίαν fieri non potest, moveretur enim terra con-
 tra naturam suam sursum, ignis deorsum: πείθειται ἄρα φέρεσθαι
 καὶ ὅτι τὸδε τὸ μέσον τὸ ἐν ἄλλῳ κόσμῳ τῆς γῆς μόλις, καὶ πρὸς
 τὸδε τὸ ἐξαλθὼν τὸ ἐκείνῳ πῦρ, ἀλλ' ἀδύνατον· τέρας γὰρ συμβαίνει. ①,
 ἀνάγκη φέρεσθαι, ἄνω μὲν πρὸς τὴν γῆν ἐν τῷ οἰκίῳ κόσμῳ, τὸ δὲ πῦρ
 ὅτι τὸ μέσον· ὁμοίως δὲ καὶ πρὸς τὴν γῆν ὅτι τὸ μέσον φέρεσθαι
 καὶ φύσιν, πρὸς τὸ ἐκείνῳ φερόμενον μέσον ἄρα τὸ τῆς κόσμου ἔτι
 κείνου πρὸς ἀλλήλους. Arist. lib. 1. de calo, cap. 8. t. 79. 2. Quia
 si dantur plures mundi, necessario vacuum concedendum erit, cum
 mundi hi undiquaque ob rotunditatem se tangere non possint. 3
 Quia unus tantum est primus motor. Ergo & unus mundus. Recte
 namque Philosophus ex unitate primi motoris, unitatem primi
 mobilis colligit lib. 12. Metaph. cap. 8. ubi inquit, ἐν μὲν ἄρα καὶ
 λόγῳ καὶ δεξιμῶ, τὸ πρῶτον κινεῖν ἀκίνητον ὄν, καὶ τὸ κινεῖσθαι
 ἄρα αἰεὶ καὶ συνεχῶς ἐν μόνον. εἰς ἄρα ἕνα μόνον. ②.

II. Quamvis vero huiuscemodi rationibus sua sit certitudo:
 attamen ea prorsus infallibilis non est, siquidem Deus virtute sua
 omnipotenti potuit, & potest plures mundos creare, quis enim in-
 finita ipsius potentia certos limites, ultra quos non possit, prescribet?

Theorema VII.

Mundus constat figurâ circulari & rotundâ.

Quia 1. cum mundum oporteat continere universa, jure ei
 debetur figura omnium perfectissima & capacissima, qualis est figu-
 ra spherica, εἰπερ δὲ τέλειόν ἐστιν ἢ μηδὲν ἔξω τῶν αὐτῶν λαβεῖν διωα-
 τὸν ὡσαύτῃ ὡσαύτῃ πρὸς πρὸν, καὶ τῇ μὲν ἀθείᾳ πρὸς δεξιὸς ἐστὶν αἰεὶ, τῇ
 δὲ τῶν κύκλων ἔδωκε. Φανερόν ὅτι τέλειον ἂν εἴη ἢ πρὸς ἕνα τὸν
 κύκλον. Arist. lib. 2. de calo c. 4. t. 23. 2. Quia si aliâ, quam spha-
 ricâ figurâ mundus constaret, in conversione ejusdem vacuum
 aliquod

B

aliquod siue locus relinqueretur, quod tamen verum haud esse videtur, ἐὰν γὰρ ἔσται ὁ ὕψιστος ἀμμοῦ, συμβήσεται ἡ τῶν οὐρανῶν ἔξω, καὶ σῶμα, καὶ κενόν. κύκλος γὰρ σφαιροειδῆ τὸ ὕψιστος ἀμμοῦ, ἐδὲ ποτὶ τὴν αὐτὴν ἐφέξει χώρον· ἀλλὰ ὅπως πᾶσι ἢ σῶμα, νῦν οὐκ ἔσται καὶ ἔτι οὐκ ἔστι, πάλιν ἔσται διὰ τὴν παραστάξιν τῶν γωνιῶν. *Arist. cap. eodem t. 27. 3. Quia praecipuae partes mundi, ut terra, aqua, aer, ignis, sunt figurae sphaericae: & haec se invicem tangunt. τὸ δὲ τῶν σφαιροειδῶν συνεχές, ἢ κείμηνον πᾶσι τῶν σφαιροειδῶν, ἢ αὐτὸ τοῖσιν ἀναγκαῖον εἶναι. t. 30.*

Theorema VIII.

Mundus secundum substantiam interiturus est.

I. *Mundum suam naturam esse corruptibilem demonstrat Philosophia: eundem vero actu aliquando destructum iri, docet Theologia. In hunc autem modum procedit Philosophia: 1. Quicquid est compositum, suam naturam est corruptibile: Quod enim actus purus non est, compositum aliquo modo est, Ergo resolvable, solus autem DEUS purus. Scalig. exerc. 61. sect. 5. Atqui mundus est compositus. E. 2. Omne Ens dependens, suam naturam est corruptibile: Quemadmodum enim Entia dependentia suam essentiam, non habent à se, sed ab alio: Sic eandem non nisi ad nutum illius, à quo dependent, retinere possunt. Hinc dicitur Scalig. Coelum licet non habeat contrarium: non tamen habet causam à se essendi, potest igitur è sua natura non esse: hoc enim est principium commune omnium rerum corruptibilitatis, loco citato. Atqui mundus est Ens dependens: Unum enim ac solum necessarium Ens, quod à se est (DEum intellige) Scalig. ibid. E. 3. Ubicunque reperitur poten-*

potentia passiva, ibi est principium dissolutionis. Atqui in mundo, imò in omni Ente creato, reperitur potentia passiva: Solus namq; & unicus DEus, omnis potentia passiva est expertus, is enim solus actus purissimus. E.

II. Licet autem mundus in se, & suâ naturâ sit corruptibilis: non tamen naturali modo corrumpetur, siquidem nihil in hac natura habet contrarium, à quo corrumpatur: Cœlum non à contrario naturali corrumpetur, sed à nutu divino, Scalig. exerc. 5. sect. 5. Ideoq; mundus quod actu aliquando sit interiturus, prorsus nescit Philosophia, sola id ipsum monstrat sacra scriptura.

III. Sed tamen non desunt, qui non substantialem, sed accidentalem tantum mundi interitum, qui fiat secundum qualitates, & accidentia propugnant: verum quia contraria sententia certissimis scriptura nititur testimonijs, hanc meritò amplectimur. Timple- rus quidem pro accidentali mundi interitu aliquot profert rationes, sed valde infirmas, par. 1. Phys. c. 3. q. 11. 1. Quia inquit, nulla firma ratio dari & excogitari potest, cur DEus velit mundum secundum substantiam destruere. 2. Quia S. scriptura nusquam expressè afferit essentialem interitum mundi. 3. Quia quo modo mundus interijt per diluvium, eo etiam modo interibit per incendiū. Sed per diluvium, non interijt secundum substantiam. E. 4. Quia contraria opinio, præterquam quod absurditates ex se parit, nempe Cœlum superum secundum essentiam suam totum destructum iri: ita etiam pugnat cum locis scripturæ, quæ apertò coeli supremi & terræ perpetuitatem affirmant. Hebr. 11. Eccles. 1. Psal. 104.

IV. Admodum infirmas dixi has esse rationes. Prima enim frivola planè est: nam non voluntas DEI fundatur in ratione nostra. Licet ergo nos rationem dare non queamus, cur velit DEus mundum hunc, secundum essentiam destruere: non tamen propterea essentialis mundi destructio neganda est. Secunda falsa est.

Plurima hic scriptura testimonia colligi possent, unicam instar erit
 omnium: Quid dilucidius dici potuisset à servatore ipso Luc. 21.
 Coelum & terra transibunt, verba vero mea manebunt?
 quod sanè testimonium nullam elusionem patitur. Si vero vocabu-
 lum urges essentialis, urgemus & nos accidentale. Ubi quæso
 expresse asseritur in sacra scriptura, accidentalis tantum mundi
 interitus? Tertia pueriliter admodum principium petit. De eo
 enim quaritur, an tantummodo secundum accidentia mundus sit
 interiturus per ignem, quemadmodum per aquam factum. Non-
 dum erat seculum huius mundi consummatum, neq; etiam vatici-
 nia de Messia adimpleta erant, ideoq; DEUS sibi Patriarcham Noah
 cum suis servavit, ne totum genus humanum de terra auferretur,
 funditusq; extirparetur: Post novissimum autem diem, neq; vati-
 cinia adimplenda restabunt, neq; locus dabitur amplius in terra
 propagationi hominum. Quarta nihil probat. Nam primò non
 illud statim est absurdum, quod nobis absurdum videtur. Deinde
 sacra scriptura quando mundo aternitatem ascribere videtur, de
 duratione loquitur satis quidem longâ, sed tamen qua sine fine sit de-
 terminata. Argumenta vero, quibus substantialis mundi interi-
 tus astruitur, pete ex Luth. in epist. 2. Petri, Hunn. in loco de pro-
 vid. pag. 13. Hasenreßf. in loco de fine mundi.

COROLLARIA.

I.


An forma mundi sit accidentalis? *A.*


II.

An mundus sit in loco, ut vult Timplerus
 par. 1. Phys. c. 3. q. 8? *N.*

III.

An mundus providentiâ Dei regatur? *A.*





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis; & natura: nunquam vero corrumpitur; nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se in corpore, sed semper extra corpus existit.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore existere, sed per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione esse bonus, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document